



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

H.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Potest, urgente necessitate, dominus temporalis, vel
 communitas imponere talliam seu tributum, non enim
 prohibitum, sed gabella ordinaria populum gravans. *Vid.*
Sylv. l. c. n. 4. Fum. eo. n. 11.

Novæ gabellæ non obligant secundum quosdam, nisi
 constet legitimè impositas. *Cajetan. 5 vectigalia in qua. d. 11.*
 in dubio volunt gabellas centeri justas: præsumendum enim
 pro Principe. *Fu. l. c. n. 11, Arrag. q. 62. art. 3 pag. 161. Gab. d. 15. q. 5. Joan. med. q. 15.*

Deprehensa res ante locum, quem exire non licet, non est
 confiscanda, poterant enim, qui ferebant, poenitere, & redi-
 dere.

Gratia.

Gratia exemptionis ob numerum certum filiorum, de-
 rat etiam mortuo aliquo illorum.

Gratia non expirat morte concedentis, nec ante certifica-
 tionem de revocatione. *Suarez. 1. 3. d. 36. sect. 2. prop. fin. Navar. conf. 2. de offic. deleg. Vid. c. si cui nulla de prob. l. 6 Navar. c. 1. de
 cuit. de poenit. d. 6. n. 34. & 162. Certificationem) Fum. d. 15. q. 5.
 Gratia n. 6. Sanchez. tom. 1. de matr. m. l. 3 d. 30 n. 11. Azor. l. 1. c. 3 q. 6. Vid. Sayr l. 7 c. 14. n. 7 de cens.*

Gratia eligendi confessorem, aut absolvendi à casibus,
 vel dispensandi, non expirat mortuo concedente. *Nav. l. 1. c. 34. neque suscipiendorum ordinum à quolibet Episcopo
 Card. in clem. si. de elect. q. 6, & Navar. ibid. c. n. 103.*

Gratia Principis intelligitur sine præjudicio tertii, alio
 saltem, quam excepto, *cap. super. eo. de off. deleg. Navar. conf. 2. de judic. num. 3.*

H.

Heres.

Vide v. *Testamentum, Substitutio.*

Heres postquam hereditatem adivit, tenetur ad per-
 solvenda testatoris debita realia, & legata ab ipso re-
 licta. Heredi deliberanti an velit hereditatem adire conce-
 duntur tres menses à die qua novit se institutum heredem,
 intra

intra quod tempus si hereditatem non adierit, ad nihil tenetur, etiam si inventarium non confecerit: quod si inventarium confecerit, in foro conscientiae non tenetur ultra vires hereditatis; *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 17. punct. 7.*

n. 1. & seq.

2. Quando dubitatur quid testator mandaverit & voluerit, faciendum est quod verosimiliter creditur testatorem voluisse: cum in obscuris praesumatur id quod verisimilius est. *ibid. n. 6.*

3. Legatum pium in dubio explicandum est secundum minus, seu strictè, ut si legatus sit calix, heres non tenetur solvere calicem aureum, sed satisfacit tradendo argenteum; nisi aliud ex circumstantiis colligatur de mente testatoris. *ibid. num. 7.*

4. Legatum relictum pauperibus, tradendum est pauperibus illius loci, in quo testator habebat domicilium, modo testator non reliquerit heredi facultatem eligendi pauperes; & consequenter relictum monasterio intelligitur relictum monasterio patriae testatoris. Item legatum relictum Canonicis, non censetur relictum Ecclesiae, sed toti Collegio, seu Capitulo; aliud est enim Ecclesia, aliud Capitulum Canonicorum. *ibid. punct. 8. § 4. n. 2. & 4.*

5. Quando testator legavit Titio Triticum, quod habet domi, vel in horreo, & postea testator consumpsit illud triticum; heres nihil tenetur solvere: nam legatum cessat, extincta re legata, conscio testatore, qui nihil substituit, vel subrogavit in locum prioris rei legatae. *ibid. § 8. n. 1.*

6. Legato principali censentur etiam, per se loquendo, legata accessoria, quia principale trahit ad se accessorium; & consequenter legato viridario, censentur etiam legata arbores in eo contentae: & legatis omnibus bonis, intelliguntur quoque legata iura & actiones. Sed eritne solvendum legatum relictum cum accessoriis, quando res illa non habet accessoria, ut si legato relictus sit equus cum suis ornamentis; sed equus non habeat ornamenta? Erit solvendum, si huiusmodi ornamenta non ponantur taxative & limitative, sed accessorie & augmentative. *ibid. § 3. n. 2. & 3.*

9. Heres mortuo patre vel destructo loco, cui res aliqua legato fuerat relicta, tenetur adhuc alteri solvere legatum, si legatum erat pium; ut si rem aliquam reliquit tamquam pium opus, sed talem pauperem elegit, eò quod esset

S

sibi

sibi notus, vel alia de causa: secus si tantummodò relictus in bonum ipsius pauperis; nam extincto legatario, cessat legatum. *ibid.* § 8 num 3.

8 Petes, an legatum relictum alicui feminæ maritanti possit tradi feminæ quæ tempore testamenti, vel post eorum testamentum, dum adhuc viveret testator, collocata fuit in matrimonium? Non potest, si legatum factum fuerit personis incertis & indeterminatis. Sed legatum relictum feminis in matrimonium collocandis, potestne tradi viduarum advolantibus ad secundas nuptias? Non potest, quia nomen feminæ in matrimonium collocandæ, intelligitur in hac materia ea quæ nulli nupsit. *ibid.* §. 4. n. 7 & 8.

9. Vidua cui relictum est legatum sub hac conditione, *donec castè, & honestè vixerit*, non amittit legatum transiitudo ad secundas nuptias: quia secundæ nuptiæ castæ sunt & honestæ. secus dicendum si frequenter fornicetur. Item legatum relictum feminæ, *quamdiu vidualem vitam servaverit*, debetur, ea religionem ingrediente; cum verè & propriè dicatur vitam vidualem servare, & testatoris mentem adimplere. *ibid.* pum. n. 10. & 13.

10. Quando legatum relictum est uxori, *donec castè vixerit*, & ipsa primo anno castè vixit, secundo verò anno turpiter, sed deinde tertio anno se ad meliorem frugem recipit, probabilius est legatum non esse ei solvendum; quia testator præsumitur voluisse obligare uxorem ad servandum honorum prioris viri inviolatum. *ibid.* n. 2.

11. Quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis, hæredes necessarii, quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt aliquid sibi retinere, nimirum suam legitimam, cum ea privari nequeant. *ibid.* §. 7 num. 1.

12. Petes, quis possit derogare testamenti & legati. Respondetur Principem supremum posse derogare testamenti & legato facto ad causam profanam, & convertendo illud ad aliam causam profanam, vel piam, iusta interveniente causa vel publica necessitate: & hinc collige posse quoque Summum Pontificem testamentum vel legatum ad usum pium convertere in alium usum pium. Imò si legatum nequeat commodè adimpleri, potest auctoritate Episcopi in alium commutari, cum adsit iusta causa commutationis; & hæredes tuti sunt in conscientia, quoties legatum ex iusta causa

causa fuit auctoritate Episcopi in aliquod æquale, aut melius commutatum *ibid.* §. 9. num. 2. & seq.

A D D I T I O.

Deficientibus descendantibus, & ascendentibus potest quis heredem instituere, quem velit: & deficientibus filiis legitimis, potest instituere naturalem, relicta tamen legitima ascendentibus. *Sylv. hereditas. 1. n. 2.*

Legitima successione deficiente succedit conjux, (& interdum dominus loci, ex præscripta consuetudine,) deficiente verò etiam conjuge, fiscus, Vide *Sylv. l. c. num. 5. in fin. & n. 12.*

Filius naturalis succedit matri, ut legitimus, non autem spurius, proprie, etsi quidam id concedant, quando matri non sunt legitimi filii, certè à matre sibi relicta potest tenere, donec per judicem privetur. Imò potest ipsum mater instituere secundum quosdam, & si vulgo habetur legitimus, vocare in testamento legitimum, scil. secundum vulgi opinionem. At spurius, i. e. vulgo conceptus, seu patre incerto natus, matri succedit, nisi hæc sit illustris. Sunt & qui dicunt, filium solutæ ex conjugato, vel presbytero succedere matri, ut naturalem. *Filius* (*Mol. d. 266 conc. 7. At spurius,*) si natus sit ex coitu damnato, & humana lege puniendo, non succedit matri. *Mol. l. c. concl. 4.*

Spurii fratres, si sint uterini, succedunt sibi invicem ab intestato, alioquin spurii, id est, damnato per jus civile coitu natis, non succedunt parentes, nec fratres, nec contra *Fers. Mol. d. 167 ubi de successione spuriorum conc. 11. alioquin) ibid. concl. 11.*

Monasterium succedit religioso, professo, ab intestato, relicta tamen legitima filiis, & horum defectu ascendentibus, & dote filiabus. Vide *Fum. hereditas, §. Syl. nu. 10. Ang. 17 eod.*

Intestato Clerico non habenti cognatos, succedere debet Ecclesia, cui serviebat; sed fortè jam succedebat Camera Apostolica, Vid *Fum. l. c. 4 Syl. clericus 4. n. 13.*

Pactum renuntiantis hereditati alioqui debitæ, non valet, nisi firmetur juramento, (sed si est enormis læsio, poterit petere absolutionem à juramento) aut si pro eo datum æquivalens, aut si in fratris gratiam renuntiavit, sed tunc accipienda legitima. Quod si de patris consensu sit factum, potest pater consensum revocare. § 2 Si

Si quis exheredetur, potest petere hæreditatem, donec causa probetur. Causa enim exheredationis, quæ in testamento necessario exprimenda est, probari debet, si filius infestus. Vid. Covar. c. Raynucius de testam. n. 5 De causis exheredationis vid. Molin. d. 176.

Si cui descendenti relinquatur hereditas, aut sit legatum, aut donatio cum pacto, ut post mortem det alteri totum vel partem, intelligitur, si non habeat liberos: hi enim succedunt, etiam feminae. Vid. Mol. d. 190. in it.

Non potest institui hæres, damnatus ad mortem, aut perpetuò ad exilium, vel triremes. Fum. l. c. 36.

Novem dies conceduntur heredibus post humatum cadaver, ne à creditoribus molestia affici possint, post hos dies conficitur inventarium, constituuntur tutores Mol. l. c.

Hæresis.

Vide v Censura. Denuntiatio, Excommunicatio, Irregularitas.

1. Hæresis est voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem. tom. 1. de Excommunicatione, d. sp. 2 q. 5. punct. 1. n. 1. Hinc infer

2. Catechumenum negantem aliquem fidei articulum, aut eum qui positivè dubitat in rebus fidei, esse hæreticum. Item eum qui non credit aliquem articulum sibi specialiter revelatum; quia negat veritatem fidei cum pertinacia: aut negat propositionem quæ deducitur evidenter ex una propositione de fide & altera naturali: secus dicendum de eo qui ex ignorantia crassa errat circa fidem, sed est paratus corrigi cognita veritate: esset tamen hæreticus, si is qui erraret ex ignorantia crassa, adhuc erraret, si sciret errorem illum esse contra fidem. *ibid. num. 2. & seq.*

3. Apostata à fide subjacet pœnis hæreticorum, est enim verus hæreticus deserendo veram fidem. *ibid. num. 8.*

4. Summus Pontifex non potest in controversiis fidei & morum errare, aut in hæresim labi, quia est successor D. Petri, cui collata fuit infallibilitas rerum fidei, & nullus Romanorum Pontificum fuit hæreticus. *ibid. n. 9.*

5. Præter alias multas pœnas quibus afficiuntur hæretici, ut amissione bonorum, & c. hæreticus qui suam mentem exterius

exteriùs sufficienter manifestat verbis aut signis, incurrit excommunicationem latam ab Ecclesia, & Papæ reservatam, quamvis suam mentem occultè manifestet. Dicitur est *exterioris*, &c. quia hæreticus purè mentalis potest à quolibet Confessario approbato absolvi, cum is non incurrat excommunicationem. Dicendum igitur eum non incurrare excommunicationem, qui mente revolvens suam hæresim, non aperit caput imaginibus, vel augustiss. Eucharistiæ sacramento, aut non genuflectit eò quòd non credat adesse corpus Christi, aut imagines non esse adorandas. Idem dicendum si proferat verba imperfecta, ut si dicat, *ita est*, vel *pream nisi ita sit*; aut edat signa indifferentia, & non manifestativa hæreseos. *ibid. punct. 2 n. 1. & seq.*

6. Excommunicatio ergo contra hæreticos lata, incurritur ob hæresim manifestatam per aliquod signum externum, cui communitur malitia hæresis ab actu interno, ut excludantur qui causa consilii capiendi, aut disputandi hæresim exteriùs pronuntiant. *ibid. n. 7.*

7. Hæretici qui suam hæresim sufficienter exteriùs protulerunt, vitandi non sunt, nisi sint nominatim denunciati excommunicati: non potest tamen huiusmodi adhiberi ad suscipiendum filium de sacro fonte, quia ad patrinum pertinet filium susceptum instruere in rebus fidei, quod non præstabit hæreticus. *ibid. n. 9. & 10.*

8. Pœna excommunicationis Papæ reservatæ, quæ lata est contra hæreticos, extenditur ad credentes, receptatores, fautores & defensores hæreticorum formaliter secuto effectu. *Formaliter*, ut excludantur ii, qui beneficium faciunt hæretico ratione amicitia: vel consanguinitatis, vel metus, & non ex motivo hæresis. Dicitur *secuto effectu*, quia sola intentio favendi hæresi, favore non secuto non sufficit ad hanc excommunicationem incurrendam. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

9. Qui legit, an retinet libros hæreticorum, vel etiam libros alterius cujusvis auctoris, damnatos, atque prohibitos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis, incurrit excommunicationem, quæ nulli reservata est, sed jure communi potest à quolibet Confessario per absolutionem auferri: si tamen contineant hæresim, incurritur etiam excommunicatio Papæ reservata, legendo aut retinendo ejusmodi libros. Idem dic de legente librum hærearchæ, aut libros

& scripta continentia divinationes & sortilegia: non autem de legente libros vetitos ob excitationem ad turpem libidinem veneream, aut additiones hæreticorum, aut scholia contenta in libris Catholicorum, *ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

10. Qui scienter & non ex ignorantia crassa, & absque Pontificis licentia publice vel occulte legit per seipsum, aut retinet etiam unum folium ad involvenda aromata, aut imprimit, aut alio quovis modo defendit libros hæreticorum, tractantes de religione, aut hæresim continentem, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, quamvis legat, vel retineat ad eos confutandos; vel imprimat curiositatis gratia, & absque pravo animo, *ibid. n. 7. & seq.*

11. Per *imprimit*, intellige eum de cuius mandato imprimitur, auctorem libri, vel alium tradentem librum ad imprimendum; illos omnes qui concurrunt ad componendum simul characteres, & qui chartam humectant, vel typis excudunt, *ibid. n. 17.*

Adverte ad incurrendam dictam excommunicationem, non esse necessarium, ut quis legat eam partem in qua est hæresis expressa, sed sufficit, si legat aliquam partem libri in quo hæresis contineatur: nam adhuc dicitur legere librum hæretici, *ibid. num. 20.*

A D D I T I O.

Non est hæreticus, qui ex infirmitate animi de fide dubitat, non pertinaciter, quin etiam secundum Can. *lib. 12. de hoc c. 9. ad 1.* dum dubitat, non est censendus hæreticus. In dubio enim non est pertinacia, quæ ad hæresim requiritur tamen in contrarium est communis sententia, quæ tenenda est; nec qui per ignorantiam errat contra fidem; si tamen Ecclesiæ Romanæ subjiciens, paratus id credere, quod illam credere intellexit. Vid. *c. damnamus. de summ. Trin.* De hac re videatur Azor. *l. 8. c. 9.* Navarr. *c. 11. nu. 22.* Tol. *l. 4. c. 2. nu. 8.* Sylv. *hæresis. 1. n. 6.* Cajet. *vers. excommunicatio. c. 1.*

Hæretici absolutio valida est, etsi fictè convertatur.

Hæreticus non privatur bonis, aut potestate, nisi per sententiam iudicis. Nec post eam tenetur dare bona fisco; nisi id exprimat in sententia. Vid. Molin. *d. 95.* Covarr. *epit. p. 2. c. 6. § 8. Nisi* Ita Bannes. *2. 2. quæst. 12. art. 10. col. 8.* Ioan. *And. Archid. D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 3.* Cajet. contra Pan. Fel.

Fel. Castro *Nec post*) Covarr. *l. c. Nec beneficiâ possessionem*,
Azor. *lib. 8 c. 13. q. 8.*

Adjurans hæresim est inhabilis ad officia, & beneficia; se-
cus si abjuret non hæresim, sed solum de levi, aut vehementi.
Maiol. *l. c. 3* Sylv. *irregularitas. 7.* si respuerit, poterit sus-
ceptos ordines exercere, cum dispensatione, non tamen al-
tiores petere. Maiol. *l. c.* Sylv. *l. c.* nihil dicens de dispensatione

Ex fortilegio, aut divinatione non probatur quis hæreti-
cus, sed præsumitur.

Qui per diploma potest absolvere à casibus Bullæ Cœnæ,
potest etiam ab hæresi exteriori. *Sot. teste. l. c. col. 10* Sed con-
trarium declararunt Pius V. & Gregor. XIII. Azor. *lib. 8,*
c. 10. q. 12. ubi multa de hac re.

Quæres: Quid de libris hæreticorum sentiendum. Re-
spond. Circa libros hæreticorum posse quadrupliciter pec-
cari. 1. legendo. 2. tenendo; sub quo modo continentur
alii, ut emendo, vendendo, donando, nihil enim vendi, vel
donari potest, nisi teneatur. 3. imprimendo, 4. defendendo.
Respond. 2. Nullam in jure communi reperiri excommu-
nicationem contra lectores, vel usurpatores librorum hæ-
reticorum. Ad incurrandam Bullæ excommunicationem
Pontifici reservatam, requiri tres conditiones, 1. ex par-
te legentis, scilicet ut legat scienter, hoc est sciens li-
brum esse hæreticum. 2. ex parte auctoris libri, ut ille sit
hæreticus. 3. ex parte materiae, ut vel contineat hæresim,
vel tractet de religione. Ex his tribus conditionibus, si
aliqua desit, non incurrit excommunicationem.

Resp. Ad incurrandam excommunicationem Indicis
Trident. quæ nulli est reservata, tres requiri conditiones,
1. ex parte legentis, ut scienter legat, 2. ex parte auctoris, ut
sit hæreticus, vel etiam Catholicus, qui falsi dogmatis suspi-
cionem habet, 3. ex parte materiae, ut scilicet ex professo de
religione tractet, & hæreses, vel falsa dogmata contineat,
etsi has conditiones, semper requiri, non sit necesse.

Nam libri hæresiarcharum, & eorum, qui sunt duces hæ-
reticorum, etiam si de religione non agant, sub pœna ex-
communicationis ab Indice prohibentur, & simul etiam om-
nes libri, qui de religione agentes falsa dogmata conti-
nent, etiam si auctores habent Catholicos.

Quæres: An legentes libros hæreticorum de religione
agentes semper incurrant excommunicationem. Respond.

S 4

semper

semper incurrere, si desit facultas legendi, exceptis duobus casibus. Primus est, cum ignorat probabiliter sive auctorem, sive librum esse prohibitum, sive hæreses in eo contineri. Alter est ratione parvitatæ materiæ, quando quis sciens, prudens, vel levitate, vel curiositate legeret exiguum quiddam in ejusmodi libris. Quantum vero liceat legere extra peccatum mortale, vel excommunicationem de ea re non potest dari certa regula. Certum etiam est, dari quantitatem potest adeo magnam, quæ excusari non possit à peccato mortali vel excommunicatione, ut si quis integras legat paginas, quamvis probabile sit, etiam non peccare mortaliter, quando excederet 12 vel 14. lineas. Excedenti autem hunc numerum, consulendum esset, ut peteret absolutionem vel à Papa, si esset excommunicatio Bullæ, vel alio superiore, si esset excommunicatio Indicis.

Quæres: Liceatne citra excommunicationem legere libros hæreticorum, qui auctoris opera produunt, in quibus nihil, vel parum de suo apponunt, ut sunt lexica, concordantia, indices, scholia, marginalia, seu aliorum dicta colligunt. idque autem repurgentur juxta 5. Indicis regulam. Resp. Tales libros nec esse, nec propriè vocari posse libros hæreticorum Busæus.

Quæres: Quis possit absolvere ab hac excommunicatione, & quis possit dare facultatem legendi libros hæreticos. Respond. Absolutionem excommunicationis Indicis non esse reservatam, ac proinde omnes ab ea resolvere posse prælatos, qui possunt excommunicare, & habent exteriorem jurisdictionem. Facultatem autem legendi libros hæreticos, de religione ex professo tractantes, & continentes hæreses, solus Pontifex Romanus concedere potest; eam enim expresse sibi in Bulla reservat. Facultatem autem legendi libros ceteros, qui ex professo non tractant de religione, concedere potest Episcopus, & inquisitor Generalis hæreticæ pravitatis Busæus.

Quæres: Quid de tenentibus libros hæreticos? Tenere librum hæreticum dicitur, sive apud se in domo, vel arca illum habeat, sive apud alium, cui dedit legendum, vel custodiendum. Respond. Tenentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, incidere in Bullam Cœnæ Domini; tenentes autem libros hæresiarum, de religione non tractantes, vel Catholicorum hæreses,

hæreses, vel falsa disputata continentes, incurrere excommunicationem Indicis. Respond. 2. de tenentibus libros hæreticos, eadem ferè deberi annotari, & distingui, quæ dicta sunt de legentibus, tum ex parte materiæ. Et sicuti in lectione parvitas materiæ excusat, ita tenentes excusat parvitas temporis; quia scilicet exiguo tempore hujusmodi libros tenuerunt, vel ad aliquot tantum horas, vel per paucissimas dies. Legenda prima regula Indicis, qua septem vel octo narrantur circa hanc materiam observanda. Busæus.

Quæres: Quid de imprimentibus libros hæreticos sentiendum. Nominè imprimentium intelliguntur, qui prælo non tantum litteras exprimunt, sed qui proximè cooperantur impressioni; ut est typographus ipse, compositores typorum, impressores, correctores. Hi enim omnes simul totam impressionem perficiunt. Respond. ergo, jam olim in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess. 1.* excommunicatos fuisse omnes imprimentes, vel imprimi facientes quoscumque libros sine prævio examine, & approbatione. Quam excommunicationem Cajet. *in sum. verb. excommunicatio.* quoniam tempore illius vixit, vocat novum, & dubitat, num usu fuerit recepta. Et rectè dubitat, quia illius tempore non curabatur usque ad Concil. Trident. & Indicem librorum prohibitorum editum, passim enim sine ullo delectu, & approbatione pro cuiusque voluntate libri imprimebantur. Respond. 2. Nihilominus nunc illam excommunicationem Concil. Later. ex parte reformatam esse à Concil. Trident. *sess. 4.* & approbatam *reg. 10. Indic.* & proinde obligatoriam, ubicumque Concil. Trident. & Index receptus est.

Quæres: Qui dicantur defensores librorum hæreticorum. Defensores vocantur, qui scienter defendunt libros hæreticorum, quomodolibet: id est, quocumque genere defensionis sive publicè, sive occultè, ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore: ut si quis defenderet librum hæretici, propter elegantiam linguæ Latinæ. Id autem intelligendum est de libris hæreticorum, qui hæreses continent, & de religione tractant. Busæus.

*Histris.*Vide v. *Ludus.*

S s

Homi.

Homicidium.

Vide v. *Bellum, Furtum, Irregularitas, Restitutio.*

1. Licitum est publica auctoritate occidere malefactores ita enim postulat bonum commune, ut homines metu mortis retrahantur à criminibus. Imò proscripti contra quos lata est sententia mortis, possunt à privato interfici; quia hoc censetur fieri publica auctoritate iustitiæ. *tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. q. ult. sect. 1. punct. 2. n. 1. & 2.*
2. Non est licitum clerico aliquem occidere, non solùm privata auctoritate, sed neque publica; quia non decet clericos immiscere se in causis sanguinis. Potest tamen Papa dispensare, ut absque peccato & irregularitate ferret sententiam sanguinis *ib. punct. 4. n. 1. & 2.*
3. Clerici vel Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem, ratione dignitatis, vel ratione bonorum patrimonialium, possunt absque alio privilegio constituere iudices sæculares in causa sanguinis & indicare bellum hæreticis, hostibus fidei, si non habeant Superiorem. *ibid. n. 4. & 5.*
4. Non potest aliquis seipsum directè occidere, etiam si effugiat aliquod peccatum; neque privata auctoritate, alium etiam volentem & consentientem, cum nullus sit dominus vitæ suæ & membrorum, & nullus possit hanc facultatem concedere. *ib. punct. 5. n. 1. & 2.*
5. Potest tamen quis cooperari ad mortem propriam, indirectè per accidens, & mediatè exponendo vitam periculo ob rationabilem causam, aut omitiendo actiones ad vitam necessarias; imò immediatè & directè, sed ex præcepto Dei, sub cuius dominio vita nostra continetur, ut fecit Samson; denique potest aliquis publica auctoritate ad suam mortem cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum penæ, ut est sumptio veneni. Propterea nemo tenetur redimere vitam pretio immenso, aut illam conservare exquisitissimis cibis & medicamentis, aut relicta patria se transferre ad locum, in quo aer est salubrior; quia hoc non est seipsum occidere *ib. n. 3. & seq.*
6. Similiter detentus in carcere potest non fugere, etiam si morte plectendus sit; imò potest malefactor offerre se iudicij

plectend
exponit
re, etiam
plis in
litate co
adhibet
nihilom
cientis r
7. N
tare cur
vitam p
iudex p
8. Qu
flammi
se liber
9. N
ad fami
& ad pe
mediu
to
men in
coope
innoc
dehite
inde h
qua m
rium
11.
peric
ante v
macu
ortur
ret.
sua in
macu
mors
jure
impe
aut
non
bi in
ple

plectendum: nam ob rationabilem causam periculo vitam exponit. Milites quoque possunt se dare præcipites in mare, etiam cum aperto vitæ periculo, ne navis veniat cum ipsis in manus infidelium. Excusari etiam possunt qui sua agilitate corporis ambulant super funem, aut sumunt venenum adhibito statim remedio; quamvis enim hæc sint periculosa, nihilominus purgatur periculum per applicationem sufficientis remedii, aut probatæ experientiæ. *ib. n. 7 & 8.*

7. Nemo tenetur membrum vel membri partem amputare cum magnis doloribus, neque cum magno cruciatu vitam propriam defendere; nisi urgeat bonum publicum aut iudex præcipiens id fieri. *ib. punct. 6. n. 2.*

8. Qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus, vel flammis comburendus, potest sibi membrum amputare, ut se liberet à vinculis, & vitam totam conservet. *ib. n. 5.*

9. Non licet sibi membrum vel membri partem mutilare ad sanitatem spiritualem, ut ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum; quia membri amputatio non est medium necessarium ad salutem animæ. *ib. n. 6.*

10. Non est licitum occidere directè innocentem; benè tamen indirectè aliquando licitum est ad mortem innocentis cooperari; nam licet Reipublicæ ad se liberandum tradere innocentem tyranno qui eum petit ad necem, & non vult desistere ab obsidione, nisi ei tradatur aliquis innocens: deinde licet in bello justo subvertere mœnia vel turrim, in qua multi innocentes opprimuntur, quando hoc est necessarium ad victoriam. *ib. punct. 7. n. 1.*

11. Petes, an liceat dare pharmacum matri gravidæ cum periculo ut fœtus moriatur? Resp. numquam licitum esse ante vel post animationem fœtus dare matri gravidæ pharmacum mortiferum fœtû, seu ex sua vi ordinatum ad abortum, vel mortem fœtus. Quod si mater periculose laboret, & non supersit aliud remedium præter pharmacum ex sua natura curativum illius morbi; potest huiusmodi pharmacum adhiberi cum intentione expellendi morbum; licet mors fœtus nondum animati secutura sit, quia mater utitur jure suo: nulla tamen femina potest adhibere remedium impediens conceptionem fœtus ad evitandam infamiam, aut mortem, etiam si femina sit nobilis aut Monialis; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, & femina debet sibi impudicitia: que suæ periculum infamiæ, vel mortis imputa-

puta-

putare. Est autem constituta pœna mortis contra procuratores abortum foetus animati, & lata excommunicatio à Gregorio XIII *ib. n. 3. & seq.*

12. Quæres, an possimus vel teneamur occidere alium nostram defensionem? Resp. licitè possumus occidere iniustum aggressorem, (etiam amentem, aut ebrium) ad defensionem vitæ & membrorum nostrorum; servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, alioquin non esset defensionis ultio. Dicitur est *nos posse*, sed non tenemur regulariter occidendo, occidere invasorem injustum ob defensionem vitæ nostræ, nisi aliunde urgeat bonum commune Reipublicæ, aut salus animæ, ut si invasus putet se esse in peccato mortali, & timet damnationem *ib. punct. 8. n. 2. & seq.*

13. Non est licitum prævenire aggressorem propriæ vitæ, antequam inceperit moraliter aggressionis actum; quod si jam moraliter incepit actum, nec est alia spes evadendi, licitè potest occidi, quia vim inferre censetur: hinc sequitur licitum esse uxori occidere maritum, qui paravit pugionem sub cervicali, aut venenum ad eam occidendam; modo non adsit alia spes evadendi ex ejus manibus: at non licet prævenire occidendo illum, qui falsis testibus vitam alterius oppugnat in judicio, aut falsum testimonium apud judicem deponit, propter quod occidetur, vel infamabitur, quia sic aperiretur via infinitis homicidiis, & homines facile sibi persuaderent se per calumniam accusari. *ib. punct. 9. n. 1. & seq.*

14. Omnibus tam laicis quàm clericis licitum est occidere invasorem suarum facultatum & pudicitæ, quoties aliter salvari vel recuperari non possunt, modò facultates sint magni valoris: unde non peccat contra justitiam, qui occidit furem dum fugit: ex. gr. si equum mihi surripuit, & fugit, possum illum insequi, telo confodere & ferire, quando fur præmonitus de morte recusat rem acceptam dimittere. Similiter non est peccatum contra justitiam neque contra charitatem, occidere furem surripientem res meas, quas non possum in judicio recuperare, nisi cum magnis molestiis; secus dicendum si fur se in tutum recepit, & rem incepit quietè possidere; nam tunc recurrendum est ad auctoritatem publicam. *ib. punct. 10. n. 1. & seq.*

15. Licitum est à fortiori viro honorato occidere invasorem inferentem ignominiam, vel contumelias atroces, quando aliter ignominia evitari non potest, cum majus bonum

num sit fama, quàm sint facultates temporales; secus dicendum de clericis, religiosis vel infimæ conditionis hominibus; peccant enim contra justitiam si occidant, quando absque vitæ periculo fugere possunt. *ib. n. 9. & 11.*

16. In iis casibus in quibus possumus defendere vitam nostram & bona nostra, possumus etiam defendere vitam & bona proximi, etiam cum morte inuasoris, quando mors inuasoris necessaria est ad defensionem proximi; & consequenter possum tueri pudicitiam alicujus cum morte inuasoris, sicut possum meam tueri & conservare. Imò non solum possumus, sed etiam tenemur sub mortali proximum defendere, quando possumus illius vitam vel bona defendere absque nostro notabili incommodo; hinc sequitur aliquem teneri, licet sit clericus, denunciare conjurationem factam in personam alterius, si alia ratione non potest illius mortem impedire. *ib. punct. 11. n. 1. & seq.*

17. Nemo tenetur tueri vitam & bona personæ privatæ cum morte inuasoris, aut cum jactura vitæ propriæ aut bonorum; nisi ratio boni publici aliter suadeat. *ib. n. 8.*

18. Homicida aut vulnerator qui alium injustè aggressus est, non solum tenetur restituere damnum emergens & integras expensas, factas in curatione morbi, sed etiam lucrum cessans causa vulneris; illud scilicet quod vulneratus consecutus fuisset, si vulneratus non fuisset. Uno verbo, homicida aut vulnerator tenetur ad omnia damna, (seu potius quantum valebat spes lucri detracta redemptione laboris,) quæ passus est occisus aut vulneratus, propter mortem aut vulnus. Hinc discè quid dicendum de iudice, qui per injustam sententiam alium condemnavit ad mortem; aut de teste, qui per falsum testimonium causa fuit injustæ condemnationis. *ib. sect. 2. punct. 1. n. 6. & 7.*

19. Estne facienda restitutio pro vita hominis, vel membro injustè ablato? Nulla formaliter & ex justitia debetur restitutio pro vita & membris hominis, cum nullam recipiant æstimationem; videtur tamen ex quadam charitate aliquid restituendum esse arbitrio prudentis viri aut Confessarii. *ib. n. 10.*

20. Qui occidit eum, qui paulò post morte naturali aut juste erat occidendus, non tenetur ad restitutionem; quia anticipando tam brevi tempore non censetur ullum damnum pecuniarium intulisse; contrarium dicendum, si is paulò

lo post injustè occidendus erat à latrone, vel ab alio. *ib. n.*

21. Homicida qui pœnam talionis solvit, tenetur ad restitutionem (seu potius illius heres) refarcire omnia damna per homicidium secuta heredibus necessariis occisi, si ii exigant; tamen occisus antequam decederet ex hac vita, non fecit expressè remissionem, seu condonationem restitutionis. *n. 14.*

22. Occidens alium casu, seu committens homicidium casuale, non est propriè homicida, nec tenetur ad restitutionem; hinc fit ut qui inflixit alteri vulnus leve & non letale, sed vulneratus ex negligentia Medicorum perit; aut perit quia noluit remedia opportuna adhibere, non tenetur ad restitutionem damnorum provenientium ex morte; quia occisio respectu vulnerantis est casualis, nec reputatur ad restitutionem esse intenta. Similiter ille non est reus homicidii, qui dicitur operam rei illicitæ, aut etiam licitæ debitam intelligentiam adhibuit, ne aliquod damnum inde sequeretur; & nihilominus inde subsecuta est mors, vel aliud incommodum; hæc enim mors est casualis, cum non sit volita in se, nec in casu fecus si actio illa fuisset periculosa homicidii, nec fuisset adhibita debita diligentia ad illud præcavendum. *ib. punct. 2. n. 3. & seq.*

23. Occidens alium in ebrietate, non peccat mortaliter, neque tenetur ad restitutionem, si ebrietas non est voluntaria & culpabilis: fecus dic de occidente Caium quem putabat esse Titium, quia hæc actio est injusta contra Caium, seu contra hunc hominem, licet falsè putetur Titus. *ib. n. 7. & 8.*

A D D I T I O.

Modus inculpatae tutelæ non est, si invasus noluit fugere, cum posset, si majori vi usus sit, quàm ad defensionem requireretur.

Publicè diffidatum, & damnatum, ut à quolibet possit occidi, occidere non licet, extra fines jurisdictionis ejus potestatis, à qua damnatus est. *Sylv. Homicid. l. 1. q. 3.*

Adulteram traditam viro à judice, ut occidat, si velit, potest occidere, est enim tunc minister justitiæ voluntarius. Ita *Bannes art. 3. 2. 2. q. 64. Covar. ep. 2. p. c. d. 7. n. 17. si faciat non ex odio, sed zelo justitiæ Val. 1. 3. d. 5. q. 8. p. 3.*

Homicidium casuale ex ludo licito non gignit irregularitatem.

statem, Nav. *conf. 3 de homic. ex c. Ioannes de homic.*

Prohibentur præcepto, Non occides, damna corporalia, actus injuriosi, præparationes ad hæc, contumelia, & convicia, quæ verbo, signo ve fiunt. Prohibentur etiam interiores animi motus, deliberati; ut mortem cupere alicui, vel aliud grave malum, & criminis consortes, his verbis contentis

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstant, non manifestans.*

hoc est, qui jubet, qui dat consilium, qui factum ratificat, vel probat, ut fiat, qui laudat, vel laudat, ut fiat, qui defendit homicidium, vel defensionem promittit, qui juvat ad factum, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cum potest, & debet, qui veritatem innocentis ne damnetur, non ostendit, cum potest, & debet.

Quæres: An Episcopi, qui etiam sunt sæculares principes, possint aliquem damnare ad mortem, quatenus sunt sæculares. Resp. non posse, licet possit committere & præcipere suis ministris, ut faciant, ut habetur *in 6. cap. Episcopus titulus cleric. vel monach. de secularib. reb. immisc.* Et ratio, quia potestas sæcularis in Episcopo debet cedere spirituali. Potest tamen ex dispensatione Pontificis.

An liceat judici reum liberare à morte, quando parit ei pars læsa. Respond. quod numquam possit, repugnante parte læsa, nisi rarissime, ut si esset persona valde utilis Reipublicæ. Resp. 2. si pars læsa parit, supremus iudex potest liberare reum, quia non solum est custos, sed etiam dispensator legum, inferior autem iudex non potest.

Quæres: An verus reus debeat se manifestare, quando videt innocentem captari ad necem? Resp. negativè. Ratio, quia non fuit auctor, ut alter comprehenderetur; neque ex charitate ad hoc tenetur, si sine periculo propria vitæ non possit se prodere.

Honorare,

Vide v. Decalogus.

Hora Canonica,

Vide v. Distributiones, Officium divinum.

Idem